

4. (3). Pedes ad partem flavo-testacei.
5. (10). Corpus nigrum. Vertex immarginatus. Pronotum postice subtiliter rugulosum.
6. (9). Antennarum articulus secundus latitudini interoculari verticis aequo longo. Femora flavo-testacea.
7. (8). Antennarum articulus secundus apice excepto flavo-testaceus. Pedes, tarsis exceptis, flavo-testacei. P. 39. 2. *phoenicea* Horv.
8. (9). Antennarum articulus secundus totus niger. Tibiae posteriores basi et apice, posticae late, nigrae. P. 39. *phoenicea* var. *antennalis* Reut.
  
9. (6). Antennarum articulus secundus latitudine interoculari verticis breviore. Femora nigra, apice cum tibiis testaceis. P. 41. 4. *parallela* Mey.
  
10. (5). Corpus parvum ( $1\frac{1}{2}$  mm. l.), subaenescens-nigrum. Vertex utrinque ad oculum impressum. Antennae articulo secundo latitudini verticis interoculari vix aequo longo. Femora apice cum tibiis flavo-ferrugineis, posticis versus basin fuscescens. Pronotum postice omnium subtilissime strigulosum. P. 42. 5. *Doriae* Reut.

Species mihi ignota:

*rugicollis* Luc. p. 43.

## VI. **Orthocephalus** Fieb., Reut.

### Mares:

1. (2). Corpus cum hemielytris subtiliter adpressim cinereo-pubescent, solum capite lateribusque pronoti nigro-pilosus. Totus niger. Antennarum articulus secundus versus apicem sensim fortius incrassatus. P. 45, T. III, f. 5. 1. *brevis* Panz.
  
2. (1). Corpus cum hemielytris nigro-pilosum vel -setosum.
3. (22). Tibiae adpressim nigro-pubescentes, nigro-spinulosae.
4. (5). Antennarum articulus secundus ubique aequo crassus, capitum latitudine vix magis quam  $\frac{1}{6}$  longior, tertius secundo fere duplo brevior. Corpus cum pedibus totum nigrum, molliter sed brevius dense nigro-pilosum. Clypeus fortius prominens. P. 47, T. IV, f. 4. 2. *Proserpinae* M. et R.
  
5. (4). Antennarum articulus secundus plerumque versus apicem sensim leviter incrassatus, latitudini basali pronoti saltem aequo longus, rarissime paullulum brevior, tertius secundo  $\frac{1}{6}$ — $\frac{1}{4}$  brevior. Corpus cum hemielytris nigro-setosum, squamis pallidis saepe metallicis facile divellendis dense vestitum.
6. (9). Pedes toti nigri vel nigrantes.